



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

100. De donatione Imperialis Werdae. Examinatur & explicatur  
Marcellinus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

DE PRIMIS VETERIS FRISIAE APOSTOLIS  
lum septimum & octauum amasse supra differtat. octu-  
agesima demonstrauius: & hodie supersunt Montibus  
Hannonia, Malbodij, Niuellis, Andaini, Sufris &c  
quamquam antiquo viuendi ritu non parum demutato.

DISSERTATIO IOO.

De donatione Imperialis Werda. Examinatur &  
explicatur Marcellinus.



Ræclarè Nazianz. orat. de amore  
pauperum: *Nihil, ait, tam diuinum  
homo habet, quam de alijs bene mereri. Pa-  
calamitose sis Deus Dei misericordiam imi-  
tando. Quin & Seneca lib. 3. de Be-  
nificijs cap. 15. Qui dat beneficia, deo  
imitatur; qui repetit, feneratoris. Deni-  
que Cicero orat. pro Ligario; Homi-  
nes ad deos nulla re propius accedunt, quam dando. Nihil habet for-  
suna melius, quam ut possis; nec natura melius, quam ut velis  
seruare quam plurimos.* Horum apophthegmatum strenuus  
auscultator & imitator fuit Pipinus. Eius munificam lar-  
gitem hactenus experti sumus in fouendis, recipiendis  
viris Apostolicis, in erigendis, ditandisque Episcopatu  
Ultraiectino, Cœnobijs Andainensi, Orpiensi, Epterna-  
censi. ne hîc stetit regia eius liberalitas. S. Swiberto ce-  
dit Insulam quandam Rheni dictam Cæsaris Werdam, tum  
in eius asciscendorumque Religiosorum alimentum, tum  
ad procurandam partim suorum subditorum, partim anti-  
quorum Saxonum vicinorum (nunc Westphalorum) gen-  
tilium salutem. Hanc Werdensem translationem eiusque  
occasionem sic describit Marcellinus nobis Pseudomat-  
cellius



cellinus capite 22. Interea attendens S. Swibertus gloriosus Pontifex, gregem suum hac illacque dispersum, & quod nullum fructum nullasq; inducias inter virasq; partes cum suis propter saxea Saxonum corda facere posset, exoravit assidue Dominum ut ei iam seni locum ostenderet ubi habitare deberet. Tandem angelica revelatione admonitus precipitur ire Coloniam Agrippinam ad Pipinum Ducem & Plectrudem eius coniugem, qui ei aptum locum permanentium suis condonarent. Igitur S. Swibertus valefaciens Boruethuarij cum suis presbyteris & clericis ac nonnullis Christianis per squalida & devia loca in magno discrimine ferocium Saxonum Coloniam usq; Deo comitante & dirigente vias suas pervenit. Erat autem eo tempore serenissimus Pipinus Dux habitans in Ioppiliacum Alpaide pellice sua: Plectrudis vero Dux eximia & deuota Princeps moram traxit Coloniae Agrippinae in palatio Ducum Agrippinensium & Lotharingorum, quod per eam mutatum & consecratum est in Claustrum Sanctimonialium imitaturq; Ecclesia gloriosa Virginis Mariae ad Capitolium. Cumq; ea audiuisset aduentum S. Swiberti Magnifici Praesulis gaussa est gaudio magno. audierat multoties à pluribus celeberrimam ipsius opinionem, depositoq; fastu regalis excellentia ipsum cum Venerabili patre Annone Archiepiscopo Coloniensi honorifice & deuote recepit secumq; aliquot diebus detinuit, ac miro semper eum humilitatis affectu coluit, ut ab eo secretioribus colloquijs salutis verba mereretur audire. Huc usque Marcellinus consequenter enarrans duo miracula per S. Swibertum Coloniae coram Plectrude patrata, capite 23. resumpturus & completurus donationem Werdensem. Sed antequam eò veniamus, sistamus illum & parumper examinemus & illustremus. Quod dicit, precipitur ire Coloniam Agrippinam ad Pipinum Ducem & Plectrudem eius coniugem, &c. non coheret cum eo quod statim subditur; erat autem eo tempore serenissimus Pipinus Dux habitans in Ioppilia cum Alpaide pellice sua: Plectrudis vero Dux &c. ex priori enim apparet

Pipinum



Pipinum & Plectrudem simul habitasse & communicasse  
vt coniuges: ex posteriori fuisse diuulsos & habitatione &  
th. ro.

*Valefaciens Boructuarijs* ) Hos nonnulli statuunt in Co-  
mitatu Marcano siue in Comitatu Bergensi Westphaliae.  
Probabile admodum est esse eisdem quos Tacitus Bructeros  
nominat Tenchteris & Phrysijs vicinos, qui sederunt  
inter Amisiam & Lippiam amnes, vt Coesfeldij, Mona-  
sterienses, ijsque versus Rhenum propinqui: Sic enim lib.  
1. Annal. *Cesar Cecinam cum quadraginta cohortibus Romanis  
distrabendo hosti per Bructeros ad flumē Amisiam misit, à Rheno  
scilicet. Et statim; Bructeros sua vrentes expedita cum manu Ster-  
tinius missu Germanici fudit. Ductum inde agmen ad ultimos Bru-  
cterorum, quantumq; Amisiam & Lippiam amnes inter vastatum;  
hanc procul Teutoburgensi saltu in quo reliquia Vari legionumque in-  
sepulta dicebantur.*

*Habitans in Ioppiliacum Alpaide pellice sua, Plectrudis &c.* An-  
no 708. aut circiter, quo hæc impetratio Werde secun-  
dum Marcellinum debet esse facta, diuortium Pipini à  
Plectrude legitima perdurasse, confutatum est dissert. 92.  
& longè aliud præ se ferunt verba Bedæ infra producenda  
agentis de eadem Werda.

*Ioppilia.* Nomen erat vici è regione pagi Herstallensis  
non procul Leodio ad Mosam, in cuius supercilio Pipinus  
arcem extruxerat, ad quam loci amenitate captus fre-  
quenter diuertere solitus erat. Eandem in delitijs habuerunt  
successores vsque ad Ludouicum Caroli Magni filium, post  
quem non legitur exulta, imo potius desisse, Imperatori-  
bus alibi alia palatia excitantibus & amantibus. Arx etiam  
Herstallensis dicta quod sub Herstalli complexu eo tem-  
pore, vt reor, contineretur, vnde & Pipinus Herstallus. Su-  
persunt & modò Ioppilia & Herstallum distincti & diuer-  
sarum



Terminis iurisdictionum pagi ad peculium Nassouiorum pertinente Herftallo; sed à veteri nobilitate degenerarunt, nec Pipinianæ arcis vlla visuntur vestigia.

*Agrippina*, vetustissimum hoc vrbi Coloniensi cognomen ab ipsis incunabulis: Non à M. Agrippa viro consulari, quod quibusdam visum, sed ab Agrippina M. Agrippæ ex filio nepte Cæsaris Neronis Matre. Debentur quidem initia ciuitatis M. Agrippæ, sed nomen, Agrippinæ. Cum Vbij veteres Germaniæ populi Transrhenani habitatores Sueuorum vicinorumque Germanorum quotidianas iniurias ægrè sustinerent ( qui eo acerbius eis bellum faciebant finibusque pellere conabantur, quod inito cum Romanis fœdere communem Germaniæ libertatem primi deseruisse viderentur ) veniâ Cæsaris Augusti Rheno traiccto Gallorum & Menapiorum agris infederunt, exstructo ad Gallicam Rheni ripam nouo oppido sub patrocínio ac fide M. Agrippæ generi Cæsaris Augusti, qui eos auctoritate Romani nominis ab incurfu hostium facile tutos reddidit. Sed cum noua ciuitas commigrantibus in proximos agros incolis ( agrum enim excolere quam oppidum malebant ) rarò habitaretur, Agrippina neptis Agrippæ apud Gallicos Vbios nata, Coloniâ veteranorum Italorum militum in eam deduxit. Ciuitateque insigniter multisque beneficijs adornatâ, facile obtinuit extincta Vbiorum appellatione à se Colonia Agrippina vt diceretur, quemadmodum diserite asserit Tacitus: *Sed Agrippina ( inquit ) quo vim suam socijs quoq; nationibus ostentaret, in oppidum Vbiorum, in quo genita erat, veteranos Coloniâq; deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius; Ac forte acciderat vt eam gentem Rheno transgressam auus Agrippa in fidem acciperet.*

Feracissima Roma per plurimas Colonias in regiones  
 Y y exterâs



exteras de duxit, de quibus late Ouuphrius Panuinius enumerans ultra 200. Vbi miratus fui non parum inter eas non commemorari celebrem Coloniam Agrippinam & Coloniam Traianam quæ modo est oppidum Sanctis in Cliuia patria S. P. Norberti. forsan Onuphrio Italo ex Italicis monumentis scribenti Germanicæ & Belgicæ Coloniae non occurrerunt.

*In palatio Ducum Agrippinensium* Nemo vnus mihi occurrit ex vetustis fide dignis qui Duces Agrippinenses commemoret aut Coloniam Ducatus titulo insignitam: Erant qui præsidebant post reges Franciæ seu Austrasiæ Duces Austrasiæ, sub cuius ambitu erat Colonia. Commemorantur quidem Reges Agrippinenses, qui etiam Brabantia nostræ præfuerunt, sed ab ijs qui à temporibus Iulij Cæsaris ( vtor verbis Molani in præfatione ad militiam sacram ) aut longiore mendaciorum catena à diluuiio Noe, Brabonum multorum seriem & historias recentibus scriptis vsque ad tempora Pipini primi deduxerunt, quique non historiam scripserunt, sed in confingēdis nescio quibus Vtopiæ monstris earumque ampullosis nugis, bonas horas malè collocauerunt. Vide etiam hist. Brab. I. B. Gramaije cap. 1. Quare hoc nomen de sua liberali pharetra deprompsisse existimo Marcellinum & quidē non omnino ineptè; quamquā enim non credam titulum illum S. Marcellini calamo subfuisse aut eius sæculo notum, tamen recentior componere potuit à primaria vrbe siue residentiâ, quemadmodum olim Duces Lotharingiæ Comites Louanienses, Bruxellenses: Comites Hannoniæ Comites Montenses sunt intitulati à nobilioribus vrbebus; sic Duces Austrasiæ appelles Duces Agrippinenses à digniori siue nobili vrbe, cuius erant possessores & inhabitatores. Adde hîc dissert. 71. de vario Ducū genere.



*Et Lotharingorum.* Duplici signo sese hic prodit hypocrisis. 1. Dans Pipino eiusque prædecessoribus ducatum Lotharingorum, quod nomen post ætatem S. Marcellini demum enatum esse differt. 74. est ostensum. 2. Tanquam separatos enumerans Ducatus Agrippinensium & Lotharingorum qui prius nominabantur Austrasij, quasi duo essent Ducatus Agrippinensium & Lotharingorum: idem vnusque erat Ducatus Lotharingorum siue Austrasiorum; qui erat Dux Agrippinensium, erat simul & illorum, quia Colonienses erant Lotharingi & tempore S. Marcellini dicebantur Austrasij. Rectius loco, &, posuisset vel, seu, aut quid simile.

*Ad Capitolium.* Sicut auspicijs Romanorum Coloniensis Vrbs est condita, ita ad eorundem mores eius magistratus est compositus, ac ad imitationem Romanæ vrbs Capitolium in ea supra monticulum positum, & quidem, vt asseritur, ab ipso M. Agrippa viro consulari. Quod per Francos Rhenano tractu Vbijsque in subiectionem redactis, Francorum Ducibus in palatium & habitaculum celsit. Illud ipsum Pipinus Plectrudi abiectæ in habitationem permisit, vbi ipsa quadriennio circiter humanis casibus non succumbens singularis patientiæ & deuotionis exemplar se exhibuit. Illâ à viro receptâ, ille & illa coniunctim Capitolinum Palatium ad Dei ac S. Dei Genitricis honorem in cœnobium Canoniarum conuertunt inter plures Colonienses Ecclesias Collegiatis numeratum, in quo & ipsa confundatrix sepulturam elegit. Vide dissert. 92. & Erhardum Winhemium in Sacratio Agrippinæ. Deinceps in sequenti cap: complet sollicitationem S. Swiberti & donationem Werde per Pipinum. Pro cuius explicatione sit